





9756

No: 778.
1761, 9.

CONCILIATIONEM

L. 32. D. d. LL. et l. 2. C. quae
fit long. consu.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

P R A E S I D E

D. HENR. GODOFREDO BAVERO

SVPREM. CVR. PROVINCIAL. ET CONSIST.
LIPSIENS. ADV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXV. IVLII A. C. MDCCLXI.

AD DISCEPTANDVM PROPONET

HENRICVS GOTTHARDT AVGVSTVS
K E T T E N B E I L

BREITLING. THVRING.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEIMIA.

CONCILIATIONEM

L. J. B. A. M. S. C. P. A. R. I. S.

ILLUSTRISSIMO ROTARUM ORDINIS

CONSENSU

P. R. A. E. S. I. D. E.

D. HENR. GODFREDO BAVERO

CAUSAM TECHNICALI ET CONSIST.

PROFESSORIS

IN AUDITORIO ROTARUM

D. J. B. A. M. S. C. P. A. R. I. S.

AD B. P. A. R. I. S. P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. S.

DOMINI GOTTFRIDT AUGUSTUS

R. E. T. T. E. N. N. I. I.

RECTORIS

L. I. P. S. I. A. E.
EX OFFICINA LITHOGRAPHICAE





CONCILIATIO

L. 32. D. d. LL. et l. 2. C. quae sit long. consu.

§. I.



Licet, quod nuperrime monebam, DONEL- Falsum est, quod dicunt a praescriptione ad consuetudinem duci argumentum non posse.
LI sententia, qua, saluis reliquis, decennium, ad introducendum ius consuetudinarium, sufficere statuit, ANT. FABRO, VINNIOque sese propterea haud commendet, quod dicunt, de consuetudine argumento praescriptionis affirmari posse nihil, iure tamen meo defendere mihi videor, consuetudinem praescriptionemque eximiam intercedere similitudinem. Vtramque videlicet statuo reipublicae ergo civili lege confirmatam esse, quod inseruire paci publicae litibusque

A 2

prae-



praecedendis inprimis idonea videbatur. Quod si vero de dignitate grauitateque alicuius legis iudicandum est, inprimis, existimo, ad eius rationem esse respiciendum. Vnde, licet vsucapio priuatorum commodis proxime respondeat, sufficere debet, quod simul mediate reipublicae inferuit, huiusque, non illorum, gratia introducta est.

§. II.

Cuius rei contrarium confirmatur.

Quae cum ita sint, non intelligo, cur differentiae, quae consuetudinem et praescriptionem intercedit, hoc tribuere debeam, vt vobum longi ac diurni notionem, quam leges, absque restrictione ad certum iuris caput, loquuntur, propterea, quod ad praescriptionem pertinet, hoc loco exulare arbitremur. Vt potius, quia consuetudini vim iuris naetae semper coniuncta debet esse praescriptio, scilicet, quod legislatorem obstringit, iustum agnoscere, quod secundum consuetudinem eiusmodi factum est, quam ob rem sine dubio in iure Can. *cap. fin. X. d. consuetud.* legitime praescripta dicitur, persuasum habeam, praescriptionis naturam magis in iure nostro illustratam ad explicanda, quae circa consuetudinem dubia occurrunt, omnino conducere.

§. III.

*Recensetur
Comani in-
terpretatio l. 2.*

Haec paulo fusius exposita praemissi ideo, quia interpretationi l. 2. C. *quae sit long. consu.* propullandaeque contra-



contradictioni, quae intercedere hanc et *l. 32. D. d. LL. C. quae sit*
 verba finalia videtur, si recte sentio, inseruiunt. Verba ^{long. consu.}
cit. l. 2. haec sunt: *consuetudinis vsusque longaeui non*
vilis auctoritas est: verum non vsque adeo sui valitura
momento, vt aut rationem vincat aut legem. Mireris
 profecto, quam variam CONSTANTINO, qui huius
 constitutionis autor est, sententiam interpretes affinxerint.
 CONNANVS existimat, non hoc sibi velle legis-
 latorem, vt neget, quicquam contra legem scriptam efficere
 consuetudinem contrariam, saneque, quia non minor
 vis tacitae quam expressae insit voluntati, antiquari
 posse contraria consuetudine legem scriptam, inde vero
 non consequi, perpetuum esse robur eiusmodi contra-
 riae consuetudinis debere, vt potius liceat legislatori,
 reuocare in vsum legem antiquatam, et, quae contra
 illam inualuerit, tollere rursus consuetudinem. Hanc
 esse dicit legis nostrae sententiam, minime verbis finali-
 bus *cit. l. 32.* aduersantem.

§. IV.

Aliter DONELLVS, qui putat, in thesi dispu- ^{Reconfetur}
 tare CONSTANTINVM de viribus scripti iuris, et ^{DONELLI et}
 consuetudinarii, recteque affirmare, eandem esse vtrius- ^{aliorum ad}
 que virtutem, adeoque vim legis obtinere quidem con- ^{eandem legem}
 suetudinem legitime praescriptam, etiam in praeiudicium ^{sententia.}
 scriptae legis anterioris, non tamen ita perpetuam, vt ne
 Princeps eam noua contraria lege tollere valeat, quippe
 quod



quod in genere, non admissa ius scriptum inter et consuetudinarium differentia, tenendum sit: ius nouum antiquiori derogare. Alii contra inter statum democraticum et monarchicum distinguentes *l. 32. D. d. LL.* ad illum, ad hunc *cit. l. 2.* pertinere, ex ea utique apparere arbitrantur, nihil contra legem a Principe latam efficere amplexam a ciuibus ei subiectis consuetudinem. Alii denique, quia rationi lex iungitur, ad solam irrationabilem consuetudinem pertinere legem nostram contendunt.

§. V.

*Sententiae
priors impro-
bantur.*

Hisce omnibus, quas produxi, tam graua obstant, sententiis, argumenta, ut nulli earum calculum adiciere valeam. Neque enim vnquam dubium fuisse factum credo, quod dicit *CONNANVS*, ex lege nostra apparere, abrogari lege scripta posse consuetudinem, nec est credibile, quod in Codice rescripta comprehendimus, *CONSTANTINVM* generale *EX DONELLI* sententia praeceptum proposuisse, quod quisquam Philosopho lubentius quam Latori tribuet. Nec intelligo, cur a Monarchia iuris consuetudinarii abhorrere debeat introductio, ut potius vnus, quam plurium, quin vniuersi populi consensum colligi facilius posse existimem. Minime omnium denique est verosimile ad solam respexisse *CONSTANTINVM* consuetudinem rationi infensam, cum ad hanc profligandam solius rationis fecisse mentionem suffecerit.

§. VI.



§. VI.

Vt vero, quae mea fit hac de re sententia, declar- Alia subici-
tur interpre-
tatio.
rem, singularem puto rationem esse consuetudinis ad-
uersantis legi scriptae cauenti, quominus contraria con-
suetudo contra se quicquam efficiat. Quod si enim
vera est, quam nuper ex ANT. FABRO et VIN-
NIO sententiam adduxi, grauiorem dignioremque esse
consuetudinem, quae vim iuris publici obtinuerit, praes-
criptione, quae dominium, vel ius priuato homini tri-
buat, absque dubio a praescriptione ad consuetudinem,
tanquam a minore a maius, negando procedere debet
argumentatio. Ex quo sequentem in modum colligo:
Quia, si lex omnem omnino alienationem et praescri-
ptionem exulare iubet, nullam vno quasi ore interpre-
tes, praeter immemoriam, praescriptionem, nec immeri-
to, admittunt *v. l. fin. C. d. Reb. alien. n. alienand. l. 28.*
D. d. V. S. l. 6. C. d. Praescr. 30. l. 40. annor. l. 2. §. 3. D.
d. Aqu. et aqu. plu. arcend. l. 3. §. 4. D. d. aqu. cottid.
pariter lex, quae, aduersam contra se allegare, diserte ve-
tat, consuetudinem, soli per immemoriam tempus con-
tinuatae cedit consuetudini.

§. VII.

Eandemque puto CONSTANTINI esse in *l. 2. Eiusdem ar-
gumenti conti-
nuatio.*
C. quae sit long. consu. sententiam. Partim, quia non
intelligo, qua alia ratione pugna, quae hanc et *l. 32.*
D. d.



D. d. LL. aliasque de consuetudine leges intercedit, possit remoueri, partim, quia haec limitatio iuris rationi egregie respondet. Scilicet consuetudinarium ius aequae, ac praescriptio, tacitum supponit consensum. Praescriptio, in concessionem dominii, vel iuris, quod, nondum elapso certo tempore, penes alium fuerat. Consuetudo, in regulam a ciuibus obseruandam, taciturnitate sua a Principe declaratum. Quodsi igitur domini consensus supponi nequit, diserte prohibita in lege publica rei alicuius alienatione, cur quaeso facilius supponi Principis debet consensus in consuetudinem scripta lege introduci vetitam. Vt taceam hanc nostram sententiam, hoc etiam commendare quod scimus, Principis inprimis et reipublicae fauore alia praeter immemorabilem exulare praescriptionum genera.

§. VIII.

Pauca de iuris hodierni ratione adiiciuntur.

Haec petita ex iure Romano ratio consuetudinis contra legis disertam specialemque prohibitionem introducendae an hodie immutata censeri patiatur, vehementer dubito. Neque vt aliter sentiam hoc mihi persuadet, quod video ad vnum omnes non admissa distinctione statuere, tempore longissimo triginta annorum cum additamento Saxonico consuetudinem absolui. Nec enim vlla respicit exceptionem regula nec opiniones Ictorum ius consuetudinarium vnquam efficiunt.

ULB Halle
007 114 605


3



NO 18







9756
No: 778.
1761,9

CONCILIATIONEM

*L. 32. D. d. LL. et l. 2. C. quae
sit long. consu.*

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
CONSENSV
P R A E S I D E

D. HENR. GODOFREDO BAVERO

SVPREM. CVR. PROVINCIAL. ET CONSIST.
LIPSIENS. ADV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXV. IVLII A. C. MDCCLXI.

AD DISCEPTANDVM PROPONET

HENRICVS GOTTHARDT AVGVSTVS
K E T T E N B E I L

BREITLING. THVRING.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEIMIA.

